



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv

Techo, Nicolas

Leodii, MDCLXXIII.

Cap. 15. De particularibus Paranæ rebus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38528

EO rerum ordine res ad Paranam prosperè gereguntur, Sodalitia partenia in novis oppidis instituta vigebant, & Neophytorum pietas tempore solidata nihil fermè ab veteranorum Christianorum motibus differebat. In Itapuano opido multæ fœminæ tutaræ sunt pudorem, sollicitatoribus rosarium è collo pendulum obsecientes, aut afferentes indignam rem esse, Partheniam Sodalem, Corporæ Christi palci solitam, turpiter fœdari; sponsas Christi & mancipia Virginis sine macula esse decere. Fœmina ab turpi amatore interrogata, num sola esset in cubiculo? Respondit solam esse non posse, quam Deus semper comitaretur; & insuper addidit, maestri se posse, Deo teste, peccare non velle. Mulier post fusceptum in Brasilia Baptismum, auditio, in nostris Guataniæ oppidis ante transmigrationem Societatis Neophytes sapè communicare Corpori Christi: quòd in patria tantæ rei occasionem non haberet, incensa desiderio sacra Mysteria participandi, cum marito multorum mensum itinere Lauretum se contulerat, unde ad Paranam cum alijs transmigrans, adeò præclara pietatis specimen dedit, ut meruerit mancipiis Partheniis accenseri, inter quæ diu perseveravit omni virtutum genere florere, donec morbus lethalis eam opprimeret. Pro mortua habita, cùm de ea sepelienda ageretur, ex improviso in hæc verba protupit. *Non fallimini, inquit, vos, qui me vià funeris defletis, nam verè mortem obii, defuncti, inferna loca, & in hiis multis è notis, Angelo indicante, vidi: inde ad cœlestem aulam deducta plures mihi gratulantes habui, quod Sodalitus Virginis aliquando nomen dedisset, & cognovi Sodalium sortem Cœlestibus esse acceptissimam. Pergite, ô Sodales, ait, quo pede capitis, & ne degenerate ab proposito Superis gratissimo.* His dictis multa addens de æternis inferorum pœnis, & cœlestium gaudiis, animato ad constantiam filio, in lata loca, ut spes est, post quintum diem, ut reviviscens prædixerat, evolavit. In cæteris Paranæ oppidis certabant Socii ardore pari Baptismorum, & cæterorum Sacramentorum collatione, necnon verbis Dei seminatione, magno cum animarum fructu vineam Domini excolere.

AD Urvaicam multa etiam memoratu digna sunt gesta. In Tabativensi Sancti Xaverii oppido non parvas turbas excivit Chemombeus, veterator impius, qui Ariolorum quorundam vocatu, è terris mari vicinis accitus, magnam garriendi vi apud plebeculam sibi conciliavit autoritatem; tantumque potuit, ut conspirationem de maestando Francisco Cespedes, Socio optimo, conflarit. Domum amplam aliquot Xaveriani extra oppidum veteratori ædificârunt, in qua inter compotitiones & choreas de modo patrandi particidii agebatur, placueratque conjuratoribus ipso Paschatis per vigilio, post curatum Christi funus, parricidium facere, patrassentque scelus, nî adolescentis domi educatus consilium eventilasset, quo cognito, ab fidis Neophytes optimus Pater ad Urvaicæ saxeam speluncam paulò antè deductus est, quām Chemombeus cum armatis comitibus in nostram domum irrumperet. Interim verò dum clapsam prædam nequicquam indagat, moniti Mariæ Majoris incolæ, magno numero auxilia ad properavere, quorum sedulâ indagatione Chemombeus & conjuratores alii in manus venere, in exilium transportandi. Antequam caperentur, adolescentem, consilii sui eventilatorem, multis verberibus astecerant. Franciscus Cespedes, è latebris eductus, perseveravit Divi Xaverii oppidum curare, adeò inter adversa prosperè, ut suprà ter mille capita Christianorum albo inscripta ab coloniæ prima origine computaret. Acaraguaianorum Neophytorum quingenta capita pestis demessuit, quorum locum subiere è sylvis erutæ numerosæ Ethnicorum cohortes, non diu post Christo conscribendæ. Lues Piratinenses etiam afflxit, quam ut averterent, quadringenti homines, ponderosas crucis humeris bajulantes, piam supplicationem instituere. Sanctorum Apostolorum colonia hoc anno numerositate Baptismorum floruit: nec parcior seges in Sancti Caroli agro colligebatur, sacris messoribus in horrea Æterni Patris numerosos manipulos continuò inferentibus. Satis constat septingentos & viginti-quinque omnis generis & ætatis homines ab Caaroënisibus Sociis fuisse hoc anno baptizatos. Ex hac gente fœda lues quinquaginta-duo suprà octingenta capita deturbavit, in-

CAPUT
XV.
De particu-
laribus Pa-
ranæ tebus.

Eucharistia
desiderium.

Parthenia
sodalitatis
commenda-
tio.

CAPUT
XVI.
Socii Urva-
icenses mul-
ta faciunt
memoratu
digna,

Chemombeus
conjuratio-
nem constat.

Franciscus
Cespedes pa-
rniculo sub-
ducitur.

septingenti
& viginti-
quinque ba-
ptizati.